



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXIII. Matrimonij Vinculum indissolubile, & Præstantia
Cœlibatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

quidem ista illis non sunt efficaciora, nec unquam facile impetranda.

MEDITATIO CCCLXXIII.

*Matrimonij Vinculum indissolubile,
& Præstantia Cælibatûs.*

Matth. 19. v. 3. Marc. 10. v. 2. Luc. 16. v. 18.

PUNCTUM I. *Et accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere Vxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens ait: Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, Masculum & Feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Vxori suæ, & erunt duo in carne una* (unione Contractûs Matrimonialis consummati, & ab Auctore Naturæ firmati) *Itaque iam non sunt duo, sed una Caro. Quod ergo DEVS conjunxit, homo non separaret.* Matth. 19. v. 3. scilicet separatione vinculi, quæ solùm in Lege Mosaica à Deo per Moylen in certis casibus permessa erat, ob duritiem Judæorum adversùs Uxores suas; in Lege Gratix autem rursus abrogata, & in eundem statum, quo ad Mundi initium fuerat, restituta est. Neque enim poterat in Lege Naturæ, & Ab initio Creaturæ, sive Creationis Generis Humani, Vinculum Matrimonij ullo pacto, aut contrahentium consensu dissolvi. Hinc itaque collige, si Vinculum Matrimonij consummati inter Conjuges, Lege Naturæ, & Lege Gratix (quando inter Baptizatos contractum est) insolubile statuitur, quia ambo sunt una Caro; quantâ curâ servanda sit Unio inter hominem & DEVM, quia ambo sunt unus Spiritus, quando

quando quis per Baptismum fit Membrum Ecclesie, Christo indissolubili Vinculo desponsata? (cujus indissolubilis Vinculi signum est ipsum Matrimonium Christo institutum.) Idem sentiendum, quando etiam per Gratiā Sanctificantem Anima DEO unitur, & fit consors Naturæ Divinæ: denique etiam, quando Anima per Vota Religiosa DEO desponsatur. Cur ergo, ut quia Vinculum Triplex difficilè rumpitur. Triplex illud Vinculum nunquam rumpatur, cum quodlibet eorum longè majora Bona afferat, quàm Vinculum Matrimonij Carnalis. Per Unionem enim inter Christum, & inter Membra Ecclesie, Christo per Baptismum unitæ, homini communicatur Fructus Sacramentorum, Sacrificiorum, & Meritorum Christi ac Ecclesie, si ab ipso met obex non ponatur. Per Unionem Gratiæ Sanctificantis homini communicantur Dona & Fructus Spiritus Sancti in hac vita, & Æterna Felicitas in altera. Per Vinculum Religiosæ Professionis, sive Votorum Religionis communicantur omnia Bona, annexa Vitæ Religiosæ. Quod ergo DEVS conjunxit, homo non separet.

PUNCT. II. *Dicunt ei Discipuli eius: Si ita est causa hominis cum Uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt Verbum istud: sed quibus datum est.* Matth. 19. v. 10. Ecce quàm clarè Christus approbet Discipulorum assertionem. Considera ergo, quare non expediat. Quia Bona Matrimonij comparatione Vitæ Cælibis sunt exigua; onera verò, & incommoda sunt gravissima, nec relaxatione Vinculi unquam amplius, nisi per mortem, facilè evitari possunt. Unde Matrimonium à duplici Jugo dicitur Conjugium, quia uterque Conjux Jugum subit, & per dissolutiones

ensiones, contentiones, rixas &c. sæpe in diversa trahit. Gratias age DEO, quòd tibi dederit ipsâ utilitatis experienciâ capere Verbum istud: & ideo alacriter fer Jugum Christi, de quo ipse ait: *Jugum meum suave est.* Matth. II. v. 30.

PUNCT. III. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.* v. 12. Per ultimos intelliguntur, qui ex Voti obligatione nequeunt licitè contra Continentiam agere. His autem in Præmium promittitur Regnum Cælorum, & specialis Laureola in Regno Cælorum, & Media efficaciora, ac securiora Regni Cælorum. Nam *Qui sine Vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum Vxore est, sollicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Vxori, & divisus est.* I. Cor. 7. v. 31. *Et Mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit Sancta Corpore & Spiritu. Quæ autem Nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Viro.* Ibid. Vide autem, quantò melius & facilius sit, placere DEO, quàm homini; & quantam studium Soli DEO placendi animi quietem pariat; quantas vicissim studium placendi homini curas & sollicitudines generet, & quàm sæpe frustretur.

MEDITATIO CCCLXXIV.

De vili aestimatione nostrorum

Operum. Luc. 17. v. 7.

PUNCTUM I. *Quis vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recum;*